eſt; tum & ipſe ægrius illa audit, qui virtutem virtutis præconio longe anteponere didicit. Id unum addo; quod hic ante oculos quotidie eſſe debeat, ad cujus normam fingantur mores, & in quo majorum exempla tanquam in ſpeculo iterum repræſentata conſpicari liceat. Pietas ejus, quæ veræ doctrinæ ſubſcriptionem non ſufficere agnoſcens, ipſum animum & in hoc ſe totum Deo ſuo conſecrat, in literas non vulgaris amor, cujus vel bibliotheca argumentum facere poteſt, ſapientia & regendi artes, (nam & regias virtutes in parvæ ditionis gubernatione obſervare non inſolens; nec cymbam in furente mari quam majorem navem moderari minoris artis eſt) in fratrem majorem ſtudium ſingulare, rei familiaris ſolers cura, in utraq; fortuna animus idem, & qua olim in admirationem ſui patriam traxit, fortitudo, militis inter circumvolitantes mortiferas pilas animoſitatem cum ducis prudentia & dexteritate jungere adſveta, tituſi ſunt Parenti veſtro Sereniſſimo debiti, & à majoribus accepti: quos vobis etiam, ſpei publicæ floreniſſima decora, transmittere laborat, cum ad eadem animos teneros adſvefacit. Faxit Deus Omnipotens Rex regum & Dominus Dominantium, ut Doctore hoc diutiſſime fruamini, &

in eo-